

580 sane hac multo propius ibis et minör est erratio.

scin Cratini hui(u)s ditis aedis? *DE.* scio. *SY.* ubi eas
praeterieris,

ad sinistram hac recta platea, ubi ad Dianae veneris,
ito ad dextram; priu' quam ad portam venias, apud ipsum
lacum

est pistrilla et exadvorsum fabrica: ibist. *DE.* quid ibi facit? 45

585 *SY.* lectulos—in sole—ilignis pedibu' faciundos dedit.

DE. ubi poteti' vos: bene sane. sed cesso ad eum pergere?—

SY. i sane: ego te exercebo hodie, ut dignus es, silicernium.

Aeschinus odiose cessat: prandium corrumpitur;

Ctesipho autem in amorest totus. ego iam prospiciam mihi: 50

590 nam iam abibo atque unum quicquid, quod quidem erit
bellissimum,

carpam et cyathos sorbilans paullatim hunc producam diem.

MICIO HEGIO

iii

MI. Ego in hac re nil reperio quam ob rem lauder tanto
opere, Hegio:

meum officium facio, quod peccatum a nobis ortumst corrigo.
nisi si me in illo credidisti esse hominum numero qui ita
putant,

595 sibi fieri iniuriam ultro si quam fecere ipsi expostules,
et ultro accusant. id quia non est a me factum agi' gratias? 5

HE. ah minime: numquam te aliter atque es in animum
induxi meum.

sed quaeso ut una mecum ad matrem virginis eas, Micio,